

Cap. I.



Dversarius noster in sua Antithesi heterodoxa Art. I. *de Scriptura* S. p. 14. 15. nos easdem cum Calvino, quem antea allegaverat, inflare tibias, calumniari incipit, & quidem hoc medio termino usus, quod negaremus: Deum Verbi prædicatione salutem Induratum intendere. Syllogismus talis foret:

Quicumq; negant verbi prædicatione Deum induratum salutem intendere, illi Calvinizant:

At qui Terminista &c. Ergo.

Majoris probationem præterit: *Minorem* verbis B. Bösii & Dn. D. Speneri, quæ p. 15. allegavit, probare vult: sed mala fide. *Nam ex verbis Bösii, ea emergit Conclusio: Ergo: Induratus talis, etsi audiat verbum Dei externum; tamen non convertitur, deficiente interna commotione:* Ex Verbis autem D. Speneri hæc: *Ergo, Defectus Conversionis apud Induratum remanet, non ex defectu potentie verbi divini, sed ex justo DEI judicio.* Jam si hæc assertiones Calvinismum sapiunt, Theologus olim Rostochiensis Celeberrimus, D. David Lobeckius, erit Calvinizans: Quia ita scribit in *Disp. Theol. ad A. C. VIII*, p. m. 173. S. 38. *Quod adeo verum est, ut nulla unquam virtus ex mediis illis provenire posset, nisi Deus ipse virtutem suam ad hominum $\pi\alpha\lambda\iota\nu\gamma\epsilon\nu\nu\epsilon\sigma\iota\alpha\nu$ & salutem, per illa media proferret & exeret. Externum enim verbum, ut Lutherus recte inquit, sine interna Operatione Spiritus S. nullius est efficacie.* Et infra l. c. ubi ad questionem: *Quare verbum Dei apud omnes non operetur fidem ac salutem?* proluxe respondet, his quoque verbis usus: *Quia perpetua consuetudine in misericordiam Dei peccando, fatalem pœnam vel indurationis vel desperationis sibi attraxerunt. Quid mirum, si fides his non conferatur, cum obicem Spiritui S. posuerint?* p. 179. Conf. D. Martinus Chemnitius, qui idem asserit, de externo verbi divini auditu, quod B. Bösius, in *LL. Theol. p. m. 141.* Et tunc (quando recessit Spiritus) si homo audiat verbum, non convertitur, sed magis exacerbatur & induratur, ut etiam ea quæ antea intellexit, amittat. Et quæso quid censes Censor de verbis piissimi olim

olim